

Sed ne forte mendositas propter sensum faciliorem abundaverit : quid enim facilius intelligitur quam id quod dictum est : « Et exacerbaverunt sermones ejus, » utique contumacibus contradictionibus suis? conati sumus secundum aliquam rectam sententiam etiam illud exponere : et hoc interim occurrit, « Non exacerbaverunt sermones » ejus, » id est, in Moyse et Aaron : quia eos etiam durissimos patientissime pertulerunt, donec omnia quæ Deus in eis facere disposuerat, ex ordine complerentur.

XXI. « Convertit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum. Dedit terram eorum ranas, in pentalibus regum ipsorum¹. » Tanquam diceret : Terram eorum convertit in ranas. Tanta enim ranarum fuerat multitudo, ut hoc per ὑπερβολὴν convenienter diceretur.

XXII. « Dixit, et venit cynomyia et sciniphes in omnibus finibus eorum². » Si quæritur quando dixerit, in verbo ejus erat antequam fieret ; et sine tempore ibi erat, quo tempore fieret : quanquam et per Angelos, et per servos suos Moysen et Aaron, etiam tunc quodam modo dixit ut fieret, quando fuerat faciendum.

XXIII. « Posuit pluvias eorum grandinem³. » Similis locutio est illi, ubi ait : « Dedit terram eorum ranas : » nisi quod ibi non utique in ranas tota terra conversa est, pluvia vero in grandinem etiam tota potuit. « Ignem comburentem in terra ipsorum : » subauditur, « Posuit. »

XXIV. « Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum, » et contivit omne lignum finium eorum⁴. » Hoc vi grandinis et fulminibus factum est : unde et ignem dixit comburentem.

XXV. « Dixit, et venit locusta et bruchus, cujus non erat numerus⁵. » Una plaga est locustæ et bruchi : quoniam altera est parens, altera est foetus.

¹ Psal. civ, 29, 30. — ² Ibid. 31. — ³ Ibid. 32. — ⁴ Ibid. 33. — ⁵ Ibid. 34.

XXVI. « Et comedit omne fœnum in terra eorum, et » comedit omnem fructum terræ eorum¹. » Et fœnum fructus est, sicut loqui Scriptura consuevit, quæ fœnum appellat etiam segetes frugum : sed ut duo diceret, duobus fortasse quæ dixerat, numero voluit consonare, id est, locustæ et brucho. Hoc autem totum pertinet ad elocutionis varietatem medentem fastidio, non ad diversitatem sententiarum.

XXVII. « Et percussit omne primogenitum in terra » eorum, primitias omnis laboris eorum². » Hæc plaga novissima est, excepta morte in mari Rubro. Primitias vero laborum, propter primogenita pecorum, dictum arbitror. Quæ plagæ cum sint decem, nec omnes commemoratæ sunt, nec eodem ordine quo ibi factæ leguntur. Libera enim est laudatio a lege narrantis et textentis historiam. Cujus laudationis auctor et dictor cum sit per Prophetam Spiritus sanctus ; eadem utique auctoritate, qua per eum egit hominem qui illam scripsit historiam, et commemorat aliquid factum quod ibi non legitur, et quod ibi legitur præterit.

XXVIII. Adjungit autem etiam hoc laudibus Dei, quod argento et auro ditatos Israëlitæ eduxit ex Ægypto : quia et ipsi tales erant, qui nondum possent contemnere laborum suorum licet temporalem, tamen debitam justamque mercedem : nec in eo quod Ægyptios deceperunt, a quibus sibi ut commodaretur aurum argentumque petiverunt, putandus est Deus hujusmodi dolos, eis qui sursum cor habent, vel jubere, vel si fecerint, approbare. Magis enim per illa Dei verba, utique ab illo qui cor eorum videbat, et cupiditates examinabat, permissi sunt facere ista, quam jussi : non tamen sine aliquo propectu animæ carnalis, quod et his fecerunt qui talia jure passi

¹ Psal. civ, 35. — ² Ibid. 36.

sunt, et quamvis per dolum, ab iniquis hominibus tamen quod sibi reddi debuit, abstulerunt. Sicut autem Ægyptiorum iniquitate, sic istorum infirmitate, ad id quod opus erat illis factis figurandum et prænuntiandum divine usus est Deus. « Et eduxit eos in argento et auro. » Et ista locutio Scripturarum est. Pro eo quippe dictum est : « In » argento et auro, » ac si diceretur : Cum argento et auro. « Et non erat in tribubus eorum infirmus¹ : » sed corpore, non animo. Etiam hoc magnum Dei beneficium fuit, ut in illa necessitate migrandi nullus esset ægrotus.

XXIX. « Lætata est Ægyptus in profectioe eorum, » quia incubuit timor eorum super eos². » Timor utique Hebræorum super Ægyptios. Non enim « Timor eorum, » quo timebant Hebræi, sed quo timebantur. Dicit aliquis : Quomodo ergo nolebant eos dimittere Ægyptii? quomodo tanquam redituros dimiserunt? quomodo tanquam redituris et reddituris aurum et argentum petentibus commodaverunt, si « Lætata est Ægyptus in profectioe eorum? » Sed intelligendum est post illam ultimam Ægyptiorum mortem, et tantam stragem in mari Rubro tam magni persequentis exercitus, Ægyptios timuisse residuos, ne redirent Hebræi, et eorum reliquias magna facilitate contererent. Tunc impletum est quod superius, cum dixisset : « Et auxit populum suum vehementer, » mox addidit, « Et firmavit eum super inimicos ejus. » Hanc enim sententiam uno versiculo propositam ut explicaret, quomodo id factum sit, adjunxit cætera quæ in hac laude cladis narravit, usque ad istum locum, ubi ait : « Lætata est Ægyptus in profectioe eorum, quia » incubuit timor eorum super eos : » velut assignans quod proposuerat, quia firmavit populum suum super inimicos ejus.

¹ Psal. civ, 37. — ² Ibid. 38.

XXX. Proinde jam dicit, quæ iter agentibus in eremo beneficia divina collata sunt. « Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem¹. » Tam sunt hæc manifesta, quam nota.

XXXI. « Petierunt et venit coturnix². » Non coturnicem concupiverunt, sed carnes. Quia vero et coturnix caro est, et in isto Psalmo non loquitur de amaricatione illorum, in quibus non est beneplacitum Deo, sed de fide electorum, quod est verum semen Abraham³ : ipsi intelligendi sunt petisse ut veniret, unde amarantium murmur opprimeretur. Jam in versu qui sequitur : « Et pane » cœli saturavit eos, » manna quidem non nominavit, sed nulli obscurum est qui illas litteras legit.

XXXII. « Disrupit petram, et fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina⁴. » Et hoc factum tam cito intelligitur, quam legitur.

XXXIII. His autem omnibus beneficiis suis, Deus commendat in Abraham meritum fidei : Sequitur enim, et dicit : « Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum. Et eduxit populum suum in exultatione, et electos suos in lætitia. » Quod ait : « Populum suum ; » hoc repetivit : « Electos suos : » et quod ait : « In exultatione ; » hoc repetivit : « In lætitia. Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt⁵. » Quod sunt, « Regiones gentium ; » hoc sunt, « Labores populorum : » et quod dictum est : « Dedit illis ; » hoc repetitum est, « Possederunt. »

XXXIV. Et tanquam quæreremus, cui bono ista data sunt, ne hoc ipsum putaretur summum bonum quod ista felicitas rerum temporalium populo Dei data est; continuo eam ad aliud retulit, ubi summum bonum oportet

¹ Psal. civ, 39. — ² Ibid. 40. — ³ 1 Cor. x, 5. — ⁴ Psal. civ, 41. —

⁵ Ibid. 42-44.

inquiri. « Ut custodiant, inquit, justificationes ejus, et » legem ejus requirant¹. » Ubi intelligendum est Dei servos et electos filios promissionis, verum et germanum semen Abrahæ, imitantes fidem Abrahæ, propterea ista bona terrena sumere a Deo, ut non in eis luxu diffluant, sive perversa securitate torpescant; sed ideo habeant divina misericordia hæc omnia præparata, in quibus quærendis possent negotiosissimis laboribus occupari, ut ad hoc vacent unde bonum æternum possit acquiri, hoc est, « Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant. » Denique, quoniam semen Abrahæ tales hic intelligi voluit, qui vere essent semen Abrahæ, quales utique nec in illo populo defuerunt: quod etiam apostolus Paulus satis ostendit, cum dicit: « Sed non in omnibus » illis beneplacitum est Deo². » Si enim non in omnibus, profecto fuerunt ibi quidam in quibus beneplacitum est Deo. Quia ergo tales Psalmus iste commendat, nihil hic dixit de iniquitatibus et irritationibus et amaricatione eorum, in quibus non est beneplacitum Deo. Sed quia et iniquis non sola justitia, verumetiam misericordia Dei omnipotentis et clementis apparuit; de illis sequens loquitur Psalmus cum laudibus Dei. Et tamen utrique in uno populo fuerunt; nec istos illi suarum iniquitatum contagione polluerunt. « Novit enim Dominus qui sunt » ejus. » Et si in hoc sæculo non potest ab injustis, « Recedat ab injustitia omnis qui nominat nomen Domini³. »

XXXV. Ut ergo tanquam in corpore Psalmi hujus velut latentem quodam modo ejus animam commendemus, hoc est, in verbis quasi exterioribus interiorem intellectum: videtur mihi admoneri semen Abrahæ, qui sunt omnes filii promissionis pertinentes ad æternam hæreditatem tes-

¹ Psal. civ, 45. — ² 1 Cor. x, 5. — ³ 2 Tim. ii, 19.

tamenti æterni, ut tanquam ipsam hæreditatem sibi eligant Deum, et eum gratis colant, id est, propter ipsum, non propter aliquod emolumentum mercedis extra ipsum; et hoc faciant laudantes, invocantes, annuntiantes, nec in suam, sed in ejus gloriam per fidem bene operantes, spe gaudentes, charitate ferventes¹. Hoc totum sonat his versibus: « Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, » annuntiate in gentibus opera ejus. Cantate ei, et psal- » lite ei, narrate omnia mirabilia ejus. Laudamini in no- » mine sancto ejus: lætetur cor quærentium Dominum. » Quærite Dominum, et confirmamini, quærite faciem » ejus semper². »

XXXVI. Deinde ad parvulorum corda nutrienda, ut roboarentur in fide, de Patriarchis proponuntur exempla et illorum fidei et promissionis Dei, ut imitando et sperando simus semen illorum, non de sola gente Hebræorum, sed quotquot istam gratiam suscipiunt in omni terra. Quod totum his versibus continetur: « Mementote mirabilium ejus quæ fecit, prodigia ejus et judicia oris ejus. » Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi ejus. Ipse » Dominus Deus noster, in omni terra judicia ejus. Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes. Quod disposuit ad Abraham, et juramenti sui ad Isaac. Et statuit illud ipsi » Jacob in præceptum: et ipsi Israël in testamentum » æternum, dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ³. » Quæ omnia, pro modulo meo, quemadmodum accipienda essent exposui.

XXXVII. Hic occurrebat animo parvulæ fidei: Si ergo Deus gratis est colendus, et testamenti æterni hæreditas ipse a se ipso requirendus, mortalem istam vitam quærentium eum, et temporales necessitates, an et ipsa suæ mi-

¹ Rom. xii, 11, 12. — ² Psal. civ, 1-4. — ³ Ibid. 5-11.

sericordiae multiplicatione non deserit? Nam intente audite quid praestiterit patribus nostris, vel in quibus fidei exempla constituit, vel qui ex illorum carne propagati etiam fidem imitati sunt. « Cum essent ipsi numero brevi, » paucissimi et incolae in ea : » id est, in terra Chanaan. « Et pertransierunt de gente in gentem, et de regno in » populum alterum. Non reliquit hominem nocere eis, » et arguit pro eis reges. Nolite tangere Christos meos, et » in Prophetis meis nolite malignari¹. »

XXXVIII. Si autem quaeritis, quomodo transierunt de gente in gentem, et de regno in populum alterum, audite : « Et vocavit famem super terram, omne firmamentum panis contrivit. Misit ante eos virum, in servum venundatus est Joseph. Humiliaverunt in compe- » dibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus, donec » veniret verbum ejus. Eloquium Domini ignivit eum : » misit rex, et solvit eum, princeps populorum, et dimisit eum. Constituit eum dominum domus suae, et principem omnis possessionis suae. Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et seniores ejus prudentiam doceret. » Et intravit Israel in Aegyptum, et Jacob accola fuit in » terra Cham². » Ecce quomodo pertransierunt de gente in gentem, et de regno in populum alterum.

XXXIX. « Et auxit populum suum vehementer, et firmavit eum super inimicos ejus. » Si autem scire vultis quomodo eum firmaverit super inimicos ejus, audite : « Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus. Misit Moysen servum suum, » Aaron quem elegit ipsum. Posuit in eis verba signorum » suorum, et prodigiorum in terra Cham. Misit tenebras, » et obscuravit, et exacerbaverunt sermones ejus. Convertit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eo-

¹ Psal. civ, 12-15. — ² Ibid. 16-23.

» rum. Dedit terram eorum ranas, in penetralibus regum » ipsorum. Dixit et venit cynomyia, et sciniphes, in omnibus finibus eorum. Posuit pluvias eorum grandinem, » ignem comburentem in terra ipsorum. Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum, et contrivit omne lignum finium eorum. Dixit, et venit locusta et bruchus, » cujus non erat numerus. Et comedit omne foenum in » terra eorum, et comedit omnem fructum terrae eorum. » Et percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum. Et eduxit eos in argento et » auro, et non erat in tribubus eorum infirmus. Laetata » est Aegyptus in profectione eorum, quia incubuit timor » eorum super eos¹. » Ecce quomodo populum suum firmavit super inimicos ejus.

XL. Cum autem inimicis eorum ista mala justitia ejus inflixerit; quae ipsis largita sit etiam temporalia misericordia ejus accipite : « Expandit nubem in protectionem » eorum, et ignem ut luceret eis per noctem. Petierunt, » et venit coturnix, et pane caeli saturavit eos. Disrupit » petram, et fluxerunt aquae, abierunt in sicco flumina. » Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad » Abraham puerum suum. Et eduxit populum suum in » exultatione, et electos suos in laetitia. Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt². » Non ut propter ista eum colant, sed ut ea quoque ad bonum aeternum referant atque convertant, id est, « Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant³. » Quaecumque igitur alia bona dat Deus, referenda sunt ad gratuitum cultum ejus : ipse autem cultus ejus non est referendus ad alia bona, quae dat Deus : tunc enim erit gratuitus. Ad quod certamen provocans hostis, ausus est

¹ Psal. civ, 24-38. — ² Ibid. 39-44. — ³ Ibid. 45.